Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Incipit epistola Ieronimi ad paulinum.

I. cap.

Frater am-
brosius ti-
bi mu-
nuscula
perferens de-
tulit et
suavissimas
litteras que a
principio amicitiarum fidem probate iam
fidei et veteris amicitie nova preferebant.
Vera enim illa necessitudo est et Christi glutino
copulata. quam non utilitas rei familia-
ris. non presentia tantum corporum. non subdola et
palpans adulatio. sed dei timor et di-
vinarum scripturarum studia conciliant. Le-
gimus in veteribus hystoriis quosdam lustras-
se provincias. novos adisse populos.
maria transisse. ut eos quos ex libris
noverant coram quoque viderent. Sic phitago-
ras memphiticos vates. sic plato e-
gyptum et architam tarentinum eamque oram
ytalie que quondam magna grecia dice-
batur laboriosissime peragravit. ut qui
athenis magister erat et potens. cuiusque
doctrinam achademie gymnasia persona-
bant. fieret peregrinus atque discipulus. malens
aliena verecunde discere quam sua im-
pudenter ingerere. Denique cum litteras quasi
toto orbe fugientes persequitur. captus
a pyratis et venundatus tyranno crude-
lissimo paruit captivus vinctus
et servus. Tamen quia philosophus maior
se fuit. Ad tytum livium lacteo eloquen-
tie fonte manantem. de ultimis hyspa-
nie galliarumque finibus quosdam venisse
nobiles legimus. et quos ad contemplati-
onem sui roma non traxerat. unius hominis
fama perduxit. Habuit illa etas inaudi-
tum omnibus seculis celebrandumque miraculum. ut
urbem tantam ingressi aliud extra urbem
quererent. Appollonius sive ille magus ut
vulgus loquitur. sive philosophus ut phita-
gorici tradunt. intravit persas. pertransivit
caucasum. albanos. scitas. massage-
tas. opulentissima indie regna penetra-
vit. et ad extremum latissimo phison am-
ne transmisso pervenit ad bragmanas. ut
hyarcham in throno sedentem aureo et de
tantali fonte potantem inter paucos di-
scipulos de natura de moribus dierum syderum-
que cursu audiret docentem. Inde per elami-
tas. babylonios. chaldeos. medos. as-
syrios. parthos. syros. fenices. arabes.
palestinos reversus alexandriam. perrexit
ethyopiam. ut gymnosophistas. et
famosissimam solis mensam videret in sa-
bulo. Invenit ille vir ubique quod disceret.
et semper proficiens. semper se melior fieret.
Scripsit super hoc plenissime octo volu-
minibus philostratus.

II

Quid loquar de seculi hominibus cum apostolus
paulus vas electionis et magister
gentium qui de conscientia tanti in se
hospitis loquebatur. an experimentum queritis
eius qui in me loquitur christus. post damascum ara-
biamque lustratam ascendit ierusalem. ut
videret petrum et mansit apud eum diebus xv.
Hoc enim misterio ebdomadis et ogdoadis fu-
turus gentium predicator instruendus erat.
Rursumque post annos xiiii. assumpto
barnaba et tyto exposuit cum apostolis
evangelium. ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset.
Habet enim nescio quid latentis energie vi-
ve vocis actus. et in aures discipuli de auc-
toris ore transfusa fortius sonat. Unde et
eschines cum rodi exularet. et legeretur illa
demostenis oratio quam adversus eum habuerat.

G. B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg